



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 11. Circa Iubilæa pro Christi, Deiparæ, & Sanctorum Festis concessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

Sectio II. De Iubilæo, Problemata. 25

tione laboris impendit. Potest ratione sustentationis, ex officio enim presentandi, ac publicandi hæc indulgentia Officialis alitur. Et salarium aliunde assignatum non habet. Potest dari aliquid titulo redimendæ vexationis; scio enim, officiali hunc minime literas expediturum, imò eas indulgentias impediturum, ni ei donum, aut pecunias exhibeam. Haud mihi persuadebo, Pontificis mentem esse, quod res ita magni momenti, nempe Iubilæi lucratio pendeat tum ex re ita exigua, vtest largitio, & acceptio munusculi liberaliter dati, & iustè ex iusto labore accepti: tum ex impia Officialis voluntate notentis indulgentiarum indulgum presentare, vel publicare, nisi ipsius labori satisfiat.



Circa Iubilæa pro Christi, Deiparæ, & sanctorum Festis concessa.

PROBL. LVI.

Festivitas celebrata à proprio die extrahitur, & in alium transfertur: Potest, & non potest in eum diem Iubilæum pro ea Festivitate concessum simul transferri.

113
huius trans-

POTEST Iubilæum transferri, cum Festum transfertur iustam ob causam v.g. si incidat in Aduentus aut Quadragesimæ Dominicam. Quia Iubilæum concessum fuit à Pontifice in Diui illius honorem natalitio eius die, id est, ad vitalis illius mortis celebrandam instantiam. At dies, in quem transfertur Officium & Missa, est veluti Diui illius natalitium. Adde Pontifices huiusmodi concessisse Iubilæa, ut numerus fidelium ad honorem Diui augeatur, Iubilæi obtinendi spirituali illicetamento, quod quidem augmentum non translatio Iubilæo, frustrabitur: ergo credendum est Pontificem noluisse Ecclesiam Diui tanto honore ex populi frequentia, fidelisque tam prædicate plenarie indulgentiæ privare thesauro. Hæc aliquali probabilitate sententia fulcitur.

114
huius affertur

Non potest Iubilæum transferri, cum officium & Missa in alteram diem transit. Quia Iubilæum conceditur lucrandum in die præfixo pro gloriosissimo horum Disorum transitu, & ita huic affixum est Iubilæum, & in alium haud potest diem transferri, nisi aliter indulgo exprimitur. Vnde frequenter ipsam diem in qua ad æternam patriam euolare exprimit Pontifex in concessionis Iubilæi indulto. Ita Azor. tom. 2. l. 1. c. 28. Pagand. præc. 1. l. 1. c. 2. n. 10.

115
huius affertur

Hic hærens Doctoribus addiderim, etsi non exprimat Pontifex transitus diem, sed solum dicat, *In Festivitatibus, vel in diebus Festis, vel In F. ho* horum, vel illorum Sanctorum sub horum nominibus minime alium diem à die proprio, Festivitatibus, seu transitibus illorum esse intelligendum. Hæc enim iuxta Ecclesiæ ritus proprios, & simpliciter ipsorum Festum dicitur. Sic Raban. Maurus de institut. Clericor. lib. 2. c. 43. Quod autem non possumus de Pontificis voluntate præsumere validum mihi est argumentum Bulla Vr. Esch. & Mend. Theol. Moral. T. III.

bani VIII. quæ indulget, ut Iubilæum pro Festo D. Francisci Xaverij possit tum eius Officio, & Missa transferri, cum occurrit primâ Aduentus Dominica, & in diem sequentem Lunæ transire. Vnde constat haud posse transferri Iubilæa, nisi ex speciali Pontificis indulto.

PROBL. LVII.

Notarij Regij, seu pro seculari foro deputati subscriptio sufficit, & non sufficit, ut Iubilæorum huiusmodi transumptis fides adhibeatur.

AIT Pontifex: Volumus autem, quod presentium transumptis etiam impressis, & mandati cuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibita. Quærimus, num Notarij Regij vel pro seculari foro deputati subscriptio sufficiat ad hoc, ut omnes transumptis horum Iubilæorum seu Bullarum præfatam clausulam continentium fidem adhibeant? Non est sufficiens. Quia Regij Notarij ad longè diuersam iurisdictionem, & Tribunal spectant, & in Ecclesiasticis causis, secularis fori Iudices, Ministri, vel Officiales minime se se valent ingerere. Sic docti viri in manuscriptis fuere opinati non omnino improbabili.

226
Non est sufficiens.

Regij Notarij subscriptio sufficit omnino. Quia in generali Pontifex loquitur, statuens cuiuslibet Notarij manu scriptum transumptum exarari posse: haud exprimens, quod Notarius futurus esse debeat Ecclesiastici fori: Ergo generaliter Statutum est accipiendum. Nam generaliter loquens generaliter est accipiendum; iuxta l. pretiosiss. de public. in rem act. l. in fraudem, §. vlt. de testam. milit. l. prima §. generaliter ff. de leg. præst. ex Surdo, Angelo, Riccio, Ioan. Narbo. teste Simone Barbosa principis Iur. lit. l. 2. n. 29. Et hanc generalitatem docet dictio, *Alicuius*, quæ sigillatim omnes Personas absque vllâ distinctione comprehendit. August. Barb. de dist. dist. 14.

227
Sufficiens est.

Hoc mihi ferè certum. Sed adhuc ex sententia Baldi in margar. decret. littera N, verbo Notarius, confirmo. Quæro, (inquit) an Notarius, Imperiali auctoritate possit exercere officium in terris Ecclesiæ, vel in causis spiritualibus: vel Notarius Pape in terris Imperij in temporalibus. Et crederem, quia sic. Quia hoc est officium, non iurisdictione. Ergo etiam aliquis Notarius sit fori secularis in Ecclesiasticis, & spiritualibus, qualia sunt Iubilæorum indulta suum valebit munus exercere. Imò me iudice, non est merè Ecclesiastica, ac spiritualis actio, circa quam hic Notarius officium exercet, hæc indulta subscribendo: cum solum sit testificatio quædam ad fidem humanam inducendam & litterarum Apostolicarum veritate. His tamen non obstantibus, semper consulimus, ut hæc Iubilæorum & Apostolicarum litterarum indulta Ecclesiastici Notarij manu subscribantur.

228
Hoc ferè certum est mihi.

ESCOBAR
Theod. Mor.
Tom. II. IV.
F. IV.